

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2206

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1284, 27 février

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Devant l'official d'Évreux, Jean Esveillart, de Louviers, Jean Lacire dit le Petit, de Saint-Georges d'Aubevoie, et leurs femmes, reconnaissent avoir vendu et cédé à l'abbé et aux religieux de Saint-Taurin, moyennant huit livres tournois, vingt sols tournois de rente, que ceux-ci leur devaient sur le jardin appartenant autrefois à Gillebert du Planchey, dans la paroisse de Notre-Dame de Louviers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCXCV, p. 337-339.

Texte établi d'après a

UNIVERSIS presentes litteras inspecturis et auditoris, officialis curie Ebroicensis, in Domino, salutem.
Notum facimus quod in nostra presencia et in jure coram nobis personaliter constituti Johannes dictus Esveillart, de Locoveris et Johannes dictus Lacire alias dictus Lepetit, de parrochia Sancti Georgii de Alba Via, et Johanna dicti Johannis Esveillart et Maria dicti Johannis Lacire uxores, spontanei non coacti recognoverunt et concessi sunt se, assensu unanimi et pro communi utilitate et necessitate utriusque eorumdem, vendidisse, concessisse, ac omnino in perpetuum dimisisse finaliter et quitasse religiosis viris abbati et conventui monasterii Sancti Taurini Ebroicensis, pro octo libris Turonensium quas propter hoc ipsi religiosi seu eorum mandatum eisdem conjugibus pre manibus propter hoc dederunt et persolverunt in bona numerata pecunia et legali, de qua ipsi se tenuerunt ab eisdem religiosis coram nobis penitus pro pagatis, videlicet viginti solidos turonenses seu monete currentis annui redditus, quem redditum dicti religiosi antea predictis conjugibus ratione dictarum uxorum reddebant et reddere tenebantur annis singulis ad festum beati Remigii pro quodam jardigno quod fuit quondam Gilleberti de Plancheto et ejus pertinentiis, sito in parrochia Beate Marie de Locoveris, in feodo dictorum religiosorum, una cum omni jure, dominio proprietate ac possessione quod et quam predicti omnes conjuges in premissis habebant et habere poterant seu etiam reclamare quocumque titulo seu jure, nichil ibidem sibi nec suis heredibus retinendo.
Tenendum, habendum et jure hereditario de cetero in perpetuum possidendurn eisdem religiosis et eorum successoribus in eorum monasterio libere, pacifice ac omnino quiete, sine reclamacione, contradictione ac impedimento omnium predictorum conjugum et eorum heredum de cetero super hoc faciendum, salvo tamen jure capitalium dominorum. Et tenentur omnes predicti conjuges predictam venditionem eisdem religiosis et eorum successoribus de cetero defendere, liberare et garantizare in omnibus et erga omnes, aut alibi, si necesse fuerit, in eorum propria hereditate ubicumque sit et fuerit, valore ad valorem competentem, ad usus et consuetudines patrie sufficienter excambiare, si forte garantizare non possent. Ad que premissa omnia et singula tenenda, adimplenda et fideliter observanda eisdem religiosis et eorum successoribus, ut dictum est, predicti omnes conjuges obligarunt coram nobis se heredesque suos quoscumque, ac omnia bona sua mobilia et immobilia, presencia et futura, acquisita

et acquirenda, ubicumque sint, fuerint vel quocumque nomine seu jure censeantur vel vocentur, et voluerunt teneri ex nunc efficaciter obligati. Et de premissis adimplendis et inviolabiliter observandis, et de non veniendo contra ab eisdem conjugibus, coram nobis prestitis juramentis ; promiserunt nichilominus dicte uxores, spontanee non coacte, nec ad hoc vi, metuve seu dolo maritorum suorum inducte, sub prestitis ab ipsis juramentis, quod ipse in dicta venditura ratione dotis seu maritaggi venditi, impediti vel incombrati aut aliter in vita nec in morte dictorum maritorum earumdem seu eorum alterius, si eos premori contingeret, nichil de cetero reclamabunt, vindicabunt, nec ipsos religiosos, seu eorum successores aut aliquem aut aliquos alios ratione vel occasione eorumdem super premissis per se nec per alium seu alios in foro ecclesiastico seu seculari de cetero molestabunt, implacitabunt, inquietabunt vel vexabunt quoquomodo, confitentes premissa cedere utilitati eorumdem. Et renunciaverunt omnes predicti conjuges in hoc facto redditus finaliter non venditi, pecunie non numerate, non tradite, non recepte, in eorum communem utilitatem non converse, doli mali, auxilio juris et fadi canonici et civilis, omnique privilegio crucis, fori declinatorio deceptioni ultra modum dimidii justii precii, omnique alii deceptioni et lesioni et omnibus aliis exceptionibus, deceptionibus, defensionibus, allegationibus que contra presentes litteras et earum tenorem de cetero possent obici vel opponi ; et specialiter et expresse dicte uxores renunciarunt illi consuetudini vel statuto Normannie per quam seu quod mulieres post decessum maritorum suorum solent seu possunt repetere dotes suas seu maritagia sua vendita aut etiam incombrata. Que omnibus et singulis quorum interest seu interesse potest significamus per presentes litteras sigillo curie Ebroicensis, una cum sigillis propriis omnium predictorum conjugum, ad majorem notitiam et certitudinem premissorum sigillatas.

Actum et datum anno Domini millesimo ducesimo octogesimo tertio, die mercurii ante sacros Cineres.